



BVLLA CONFIRMATIONIS STATVTORVM.

INNOCENTIUS PAPA XI.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

INIUNCTVM NOBIS DIVINITVS Apoſtolicæ ſervitutis officium (meritis licét, & viribus longè impares) ad Eccleſiæ Catholicæ per vniverſum terrarum Orbem diffuſæ ædificationem, bonorumque, & piorum operum incrementum, & animarum ſalutem fideliter exequi, adiuvante Domino, ſatagentes, Regulares Ordines in Eccleſia Dei pié ſanctéq; inſtitutos, ac multiplici, celeberrimaque virtutum laude fulgentes, in ſalutari eorum vivendi norma, veteriſque diſciplinę obſervãtia confovere atq; cõſervare omni ſtudio connitimur: ac proinde ea quæ pro felici, proſperoque Religioſorum virorum, eorumque præſertim, quos ſuave Chriſti iugum ſub auſterioris vitę regula amplexos, cæteris ſanctitatis, & religioſitatis exemplo prælucere decet, regimine, & gubernio proinde, prudenterque facta atque ordinata eſſe noſcuntur, vt ſerventur exactius, & perenni ſtabilitate perſiſtant, Apoſtolici muniminis patrocinio, cum id à Nobis petitur, libenter corroboramus: ſicut omnibus matura deliberatione perpenſis, ſalubriter in Domino expedire conſpicimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filij, Innocentius Prior Cartuſiæ Maioris, Gratianopolitanæ Diœceſis, totius Ordinis Cartuſienſis Miniſter Generalis, ac Definitores Capituli generalis eiuſdem Ordinis, quod ipſi aliàs animo revolventes ineffabilem Diuinæ bonitatis altitudinem, qua factum eſt, vt idem Ordo, quem Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri ve-

velut arborem bonam in agro Militantis Ecclesiæ dextera Domini plantatam, ac fructus vberes iustitiæ iugiter producentem merito appellarunt, singulari plané prærogatiua ad hoc vsque septimum â Fundatione sua seculum, in suo primævo instituto absque vlla reformationis necessitate perseveraverit: tam ingentibus Altissimi Beneficijs obstricti, aliquam Domino pro omnibus, quæ ijs retribuit, retributionem reddituri, quâm exactissimam Regularis disciplinæ observantiam, sollicitis magis studijs custodire decreverunt; adeòque iuxta Ordinationem anno 1679. â Capitulo generali Ordinis præfati emanatam, novam Statutorum pro salubri eiusdem Ordinis Fratrum in via mandatorum Domini directione editorum Collectionem, longo labore, ac diligentia confectam, Correriæ apud dictam Maiorem Cartusiam anno 1681. typis evulgari curarunt: antiqua in ea Operis huiusmodi secunda Editione Maiorum suorum vestigia prosequentes, qui primis Statutis eas Ordinationes, & interpretationes adiunxerunt, quæ illis ad veteris Instituti conservationem, & abusuum ex humana infirmitate erumpentium extirpationem, necnon ad præcavendas relaxationes conducere visæ fuerunt. Et sanê Opus istud ab omnibus ferè vniversi Ordinis Provincijs, & Domibus Regularibus in spiritu humilitatis, & obedientiæ pacificé, & reuerenter, vt asseritur, admissum, paucorum solum modô querelis, qui præcipuè adversus Ordinationes, & interpretationes præfatas reclamarunt, exceptum fuit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præfata Statutorum Collectio vt supra edita, per Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, quos super hoc negotio, dicto Innocentio Priore, & Ministro Generali, ac Definitoribus prædictis potissimum instantibus, ad quascumque dissensiones dirimendas, quæ inter viros solitariæ vitæ Professores, fraternæ charitatis serenitatem, religiosamque tranquillitatem obnubilare potuissent specialiter deputavimus, diligenter ac sedulò revisa, imó & contradictoribus auditis, discussa, ac vbi opus esse visum est, opportunè etiam correcta, & emendata fuerit, in volumine tenoris qui sequitur, videlicét: *Noua Collectio Statutorum Ordinis Cartusiensis, ea quæ in Antiquis, & Nouis Statutis, ac Tertia Compila-*

pila-

pilatione dispersa, & confusa habebantur, simul ordinatè disposita complectens. Editio secunda. Correriæ. Per Laurentium Gilibert Typographum iuratum apud Gratianopolim. 1681. *Cum singulari Priuilegio Regis Christianissimi. Ordinatio Capituli Generalis anni* 1679. *in Maiori Cartusia celebrati, pro Editione secundæ Partis Statutorum facienda.* Quia vbique, &c.

Inseruntur hic Statuta integra, vsque ad hæc verba inclusiué.
Sed tantum cura nobis sufficiat susceptarum.

Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, vt sibi in præmissis opportuné providere, & vt infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Ordinem prædictum, & illius personas non cessantes in rerum Diuinarum contemplatione sublimium Domino famulari, in visceribus gerimus charitatis, Innocentij Prioris, & Ministri Generalis prædicti zelum in Domino plurimum commendantes, ipsumque, & Definitores præfatos specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ exsistunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serié absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium, qui, re mature discussa, omnes & quascumque notas marginales impressas ad supradicta Statuta, nullam vim legis, aut Statuti habere censuerunt, & declarauerunt, consilio, præinsertam novam Collectionem Statutorum Ordinis Cartusiensis, vt supra correctam, & emendatam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, pariter & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui in illis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel prætendi possent, supplemus, & sanamus. Decernentes easdem præsentes Litteras, ac Statuta præinserta semper firma, valida & efficacia existere, & forè, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore espec-

ta-

tabit,in omnibus,& per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiué inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere,ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis,ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, eiuſque Provinciarum, & Monaſteriorum alijſvè quibuſvis,etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis,vſibus, & Conſuetudinibus, Priuilegijs quoque,Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis,& innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè,& ſufficienter expræſſis,ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſé derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earumdem præſentium litterarum tranſumptis,ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tàm in iudicio quàm extra illud vbique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annullo Piſcatoris, die vigeſima ſeptima Martij 1688. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

I. F. ALBANVS.

✠

D. JACOBVS DE PALAFOX

ET CARDONA, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, Archiepiscopus Hispalensis, Regiusque Consiliarius, &c. Vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus quod anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo die verò mensis

Ordines celebrantes. Dilectum nobis in Christo

examinatum, & approbatum in omnibus requisistis iuxta Decretum S. C. T.

ritè, & canonicè duximus promovendum, & promovimus. In quorum fidem præsentes litteras nostras, manu, sigilloquè munitas, ac per infrascriptum Secretarium nostrum de Camara suscriptas, ipsi iussimus expediri. Dat. vt supra

De mandato Dñi. mei Archiepiscopi.

…nia gratis.

IHS

D. IACOBVS DE PALAFOX

ET CARDONA, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIÆ, Archiepiscopus Hispalensis, Regiusque Consiliarius, &c. Vniversis, & singulis præsentes litteras inspecturis, notum facimus quod anno à Nativitate Dòmini millesimo sexcentesimo [illegible] die verò [illegible] mensis [illegible] tempororum [illegible] Mathei in [illegible]

Ordines celebrantes. Dilectum nobis in Christo [illegible]

examinatum, & approbatum in omnibus requisitis iuxta Decretum S. C. T. [illegible]

ritè, & canonicè duximus promovendum, & promovimus. Inquorum fidem præsentes litteras nostras, manu, sigilloqué munitas, ac per infrascriptum Secretarium nostrum de Camara suscriptas, ipsi iussimus expediri. Dat. vt supra

Iac. Archiepiscopus Hispalensis

De mandato Dñi. mei Archiepiscopi.

Marcus [illegible]

[illegible]nnia gratis.